

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Corsica & Sardinia

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## Corfica & Sardinia.

542

*Regio unde dicta*

*Situs.*

*Soli fertilitas.*

*Animalium varietas.*

*Imperium majorem.*

**C**ORSTICA a *Corso* ejus tertæ Domino dicta : alii a qualitate cacuminis Montis alicujus dictam volunt. Græci hanc Κόρκοσιν appellaverunt, a *Cyrno* Herculis Filio : *Theraphne* ab Ovidio nominata est, ut scribit Villanovanus. Ab Occidente & Septentrione respicit Mare Ligusticum : ab Ortu Tyrrhenum : a Meridie Sardiniam. Longitudo mill. cxx non excedit : licet Strabo mill. clix, Plinius cxi ponat. Latitudinē hic lxx mil. facit : ille lxx, quod verum esse ex dimensione per circinum constat. Ambitus secundum Plinium mill. cccxx : secundum alios cccv & cccix : secundum Maginum cccxxv, quod se per dimensionem exactam reperisse scribit. Insula est ab omni parte aditu difficilis, cum præruptis undique collibus comprehensa sit. Interius similiter magna ex parte montosa, ideoque Frumenti neque Leguminum adeo fertilis est : quæ nisi paucis quibusdam locis crescunt, ubi se aperit, atque fluminibus & aquis irrigatur, ac feracissima redditur. Ea pars quæ respicit Etruriam est mediocriter plana, habetque ibi secundum solum & producit nobiles ac dulces Fructus. Vina Insulæ, præstantissima, primæque nobilitatis, & a Romanis semper expectata, *Corfica* a loco dicuntur. Mellis & Resinæ hic magna ubertas : Olei item & Ficuum. Cæterum Mella *Corficana* amara esse notavit Servius in 1 v Georg. Fitque id ob Taxicopiam, è qua Apes Mella legunt. Venenata etiam creditur Ovidius. Solus hic Ager lapidem gignit *Catochitem*, quem Democritus Abderites etiam in certamina contra Magos adhibuit. Rhennius de *Corfica* :

*Hanc solam perhibent Catochitem genere Terram : Corporibus lapis hic seu glutine sætus adheres.* Similia tradunt Plinius lib. xxxvii cap. x & Solinus cap. ix : sed Plinius de rei fide ambigit. Alumen quoque hic reperitur : & Ferri fodinæ sunt apud fl. *Bvincum* in Comitatu *Nebiesi*. Sunt, & Salinæ vulgo dictæ *della Roja*, non longe a Portu S. Florentii : & prope *Niolium* sunt valles profundissimæ perpetuis nivibus scæatentes, sub quibus aiunt Crystallum copiose latere. Nascitur etiam in ea magna copia Buxus teste Plinio, & Diodoro, nec non Taxus arbor venenata. Animalia producit varia : Equos in primis feroces, & Canes venaticos spectatæ magnitudinis, *Musmo* quoque animal, Plinio auctore hic est, arietis genus, *Mofoli* hodie vocant : Animal præterquam in hac Insula & Sardinia nusquam apparens in tota Europa. Habet corium & pilos instar Cervi, & cornua instar Arietis, non longa sed retro circum aures reflexa præcipuè duritie, ut si altitudine 1 pedum præcipitetur inter saxa, ac capiti incumbat, non lædatur; magnitudinem retinet Cervi mediocris, folisque herbis vescitur, cursu præditum velocissimo, carnesque habens gustu lapidas. Ovis insuper & Bobus ferta est. Insula omnis jam olim maligne culta, primum a *Phocensibus*, tum a *Liguribus*, post etiam a Romanis qui duas Colonias eo deduxerunt, *Marianam* & *Aleriam*, quæ adhuc exstant. Cætera *Barbari* tenuere : proinde cum Romani in eos irruerunt, magnum servorum gregem captum Romam abduxerunt : exiguo fructu quod tam nequam servi essent, tamque bruti, ut quamvis vilemerentur, tamen Dominos semper emptionis pœniteret. Romanis succedere Saraceni : his *Genuenses* : tunc *Pisani* : hodie vero iterum ad *Genuenses* jus rediit. Nunc bifariam in 11 partes eam distinguunt. Plagam quæ Orientem solem respicit, Latus interius : partem huic obversam, Latus





...cipos dicitur  
 ...nominata est.  
 ...Tyrhenorum  
 ...Pisum. et pro  
 ...a Gaudium  
 ...od se per dicitur  
 ...que collibus  
 ...mum ad se  
 ...magis, ac ter  
 ...dum voluit in p  
 ...matis tempore  
 ...terum Melita  
 ...legant. Venet  
 ...terum etiam in  
 ...  
 ...Similia talia  
 ...que hic reperit  
 ...de Roma, non  
 ...sub quibus  
 ...Diodoro, per  
 ...micos spectant  
 ...locant: Animi  
 ...de pilis malar  
 ...alotum a p  
 ...medicorum, sicut  
 ...antiper & Babo  
 ...post etiam a  
 ...de hinc reuoc  
 ...antur: ex quo  
 ...per compon  
 ...pus redit. Nati  
 ...tatem hinc ob  
 ...



Flumina.  
Montes.

Portus.

Vulgi mores.

Latus exterius vocant. Pars quæ Italiæ propior est, *Cismontana*, & quæ versus Sardiniam excurrit *Ultramontana* dicitur. Vrbes Plinius xxxi r i fuisse in ea testatur, quod etiam ex eo notavit Martianus Capella: Ex Strabone tamen non tam Civitates quam Castella fuisse videntur. Hodie Opidum est *Bastia* in quo Summus Gubernator præsidium habet. Est & *Nebium* Civitas cum Comitatu. Eam Pto. *Cersinium* videtur appellasse. Fluminibus rigatur *Gelone*, *Tavignano*, *Sagona*, *Bavono*, *Tegiamo* & nonnullis aliis. Silvis, Nemoribusque, quæ Resinam exhibent, Montes hinc inde vestiuntur. Montes vero præcipui sunt *Ilia Orba* dicti: item *Cheparteno Mons*, *Mons Tenda*, *Mons Gualongo*, *Mons Russus*. In mari autem inter Corsicam & Sardiniam Corallium legitur. Portus habet binos hæc Insula satis amplos, maximarum navium capaces, in Sinu qui vocatur S. *Florentii*. Est & S. *Bonifacii Bortus*, Ptol. *Portus Syracusanus* dictus. Hodierni Corsicæ Incolæ etiammum, uti olim, habentur homines agrestes ferocesque, qui vel ipso adpectu animi quamdam ferocitatem referant. Homines pauperrimi, furtis & latrociniiis dediti: ac aliteris prorsus alieni. Episcopi in Corsica Archiepiscopi Pifani Suffraganei, *Aiacensis*, *Alariensis*, *Sagonensis*, *Cronatensis*. Et Episcopus Archiepiscopo Ianuensi subiectus *Nubiensis* vel *Nebiensis*.

### Sardinia.

Regio unde ducta

Situs.

Cæli qualitas.

Soli fertilitas.

Animalium varietas.

**S**ARDINIA a *Sardo* Herculis Filio nomen habet. *Timæus Sandalio* in. appellavit ab effigie soleæ: *Mirtilus* & *Chrysiippus Ichausam* a similitudine vestigi. Eodem respexit *Manilius* cum inquit, *Sardiniam in Libycis signant vestigia plantæ. Sardegna* hodie audit. Eam ab Ortu Solis Mare Tyrrhenum, a Meridie Africum: ab Occasu Sardoum ambit & litora pulsat; a Septentrione Mare quod ipsam & Corsicam interluit. Aer Insulæ inclemens est: propterea Q. F. monet M. Cicero, ut valetudinem curet, memor quod quæ optime valeret, tamen in Sardinia esset: & in Epistolis Tigellium quendam Sardoum hominem esse ait patris sua pestilentiosem. Abundat tota Insula Frugibus, Triticis, Vitis, Argenti fodinis, Pecore, Armento, & cunctis ad vitæ usum necessariis. Equorum tanta copia, ut non pauci agrestes sint, dominis carentes, nostris minores, generosi tamen, robusti ac agiles. Venationem habet uberem: multique Rustici ex sola vivunt venatione. Abundat enim regio Apris, Cervis, Damis, & alio quodam animali quod *Muslonem* vocant, quod modo in Corsica descripsimus. Nullum gignit Sardinia Lupum, aut aliud huiusmodi nocens animal. Caret etiam Serpentibus. *Silius*: *Serpentum tellus pura, ac viduata veneno, Sed tristis celo, ac multa vniata palude.* Sed quod aliis terris Serpens est, id *Solpurga* Sardois agris: Animal perexiguum, simileque Araneis forma. *Lucretius Salpiga* vocat, *Plin. Solpuga*, quod diem fugiat. In Metallis argentariis plurima est: est enim solum istud Argenti dives. Occultim reptat, & per imprudentiam superferentibus pestem facit. Accedit etiam huic incommodo Herba Sardonica quam *Pausanias* in Phocæicis Selino, hoc est Apio similem esse dicit: Latini *Ranunculum* & *Strumeam* vocant. Hæc si edulio fuerit, ora hominum & rictus contrahit, & quasi ridentes perimit



## SARDINIA.

545

perimit. Strabo ex ea scribit Hispanos venenum conficere, quod urgente vi majore haustum, citra dolorem perimat: inde proverbium natum, *Sardonius risus*. Vrbs Sardoā primaria est *Calaris*, vulgo *Cagler*. Sita est in Monte juxta mare, Africam respiciens, Portumque habet amplissimum. Vrbs multis ornata est privilegiis. Consules creat, qui potestatem habent fontes puniendi citra auctoritatem Regis: praterea novas leges condendi, cum populi tamen consensu. In hac Vrbe *B. Augustini reliquia* tam diu quieverunt, donec ab Heliprando Langbardorum Rege Papiam translata sunt. In ea *Sardinia Prorex* fere semper moratur, una cum Baronibus, Comitibus & multis divitibus. Mela & Plinius *Sulchitanam* urbem hic commemorant. Hodie etiam sunt Civitates, *Oristagnum* Civitas Metropolitana, sita in loco plano & parum distans a Mari. Fuit olim regio illa Arborea appellata, nunc autem Marchionatus Oristagni dicitur. In hac olim Turrata fuit Romanorum Colonia. *Sassaris* civitas solum amœnum habens & pulcherrimis irriguum fontibus, multis bonisque frugibus abundans. Parum tamen munita est. *Algher* civitas nova, exigua, populo tamen frequens & munitissima, domibus & ædificiis pulcris ornata: cujus Incolæ fere omnes Taraconenses. Habet Sardinia & alias Civitates, & Opida, quorum mentionem hic non faciemus, brevitati studentes. Flumina habet multa & amœna, sed non profunda, quæ ætatis tempore vado transiri possint. Multi sunt in Sardinia *Magistratus*. Omnium supremus est *Prorex*, qui omnem fere Regis tenet auctoritatem: & solus Hispanus hunc Magistratum gerere potest secundum antiquas constitutiones. Habet a Rege adsignatum *Adfessorem* juris V. Doctorem quem *Regentem* ibi appellant. Habet praterea & alios *Consiliarios*, quorum consilio omnia fere disponit, appellaturque ejus Tribunal, *Regia audientia*. Olim hunc Magistratum juxta privilegium Regni nullus poterat gerere nisi per triennium: deinde alius succedebat in locum ejus. Nunc autem in eo Munere multis temporibus quis persistit, ut Regi placet. Ad Mores & Genium Sardonum quod attinet: corpore sunt robusti & laboribus adfueti, prater paucos luxui deditos. Litterarum studio parum sunt intenti, venationi autem deditissimi. Multi pecuariam exercent rem, agresti cibo & aqua contenti. Qui in Opidis & Villis habitant, paucissime inter se vivunt. Advenas amant & humaniter tractant. Vivunt in diem & vilissimo vestiuntur panno. Et quod mirandum est nullum habent Artificem in tam ampla insula, qui enses, pugiones & alia fabricet arma, sed hæc ex Hispania & Italia petunt. Apud Mercatorem hi leguntur Episcopi: Archiep. *Calaritensis*, cui hi subsunt, *Sulcitanus* vel *Sulciensis*, *Dolienfis*, *Suellensis*, *Archiep. Turritanus*, cui subsunt hi *Sorrensis*, *Plonatenfis*, *Ampurienfis*, *Gisacenfis*, vel *Girardensis*, *Castrenfis*, *Othanenfis* vel *Othricensis*, *Bosanensis*, *Bossa*, forte Archiep. *Alborensis*, cui subsunt *Uffellensis*, *S. Justa*, *Terra alba*, *Civitanensis* & *Castellmenfis* exempti.

Z z z

Sicilia

Flumina,  
Ratio gubernandi  
Senatores,

Vulgi mores,

Victus,  
Vestitus,